

Porro denique tribuit illis perfectionem accidentalem, qualem potest, nempe qualem ejus permittit Sapiencia.

§. 16.

Actus Voluntatis Dei conveniunt cum ejusdem regula.

Cum Deus sit independens (§. 2.); sequitur etiam, ipsum velle semper independenter ab omni ente alio extra se (§. 6.). Sed vero Deus non potest velle, nisi quod cum suis perfectionibus convenit. Voluntas itaque Dei semper agit conformiter suis perfectionibus, & impossibile est, ut Deus velit suis perfectionibus contrarium. Voluntas ergo Dei semper in volendo sequitur Dei perfectiones. Perfectiones itaque Dei sunt regula ipsius Voluntatis, adeoque (per demonstrata) actus voluntatis Divinae sunt convenientes ejusdem Regulae, nempe suis perfectionibus.

Nemo non videt, per id, quod voluntas Dei observet regulam, nempe Dei perfectiones, non detrahi Libertati voluntatis. Nam se ipsum determinat liberrime, sed vero ad id, quod perfectionibus ejus non contrariatur, id quod summa Dei postulat perfectio.

§. 17.

Rectitudo Voluntatis quid?

Rectitudo Voluntatis est convenientia sive consensus actuum voluntatis cum ejusdem regula.

Id, cui convenienter actiones nostrae sunt instituendae, dicitur earundem Regula (§. 146. Wolfii Mor.). Ita actionum nostrarum regula est lex naturae, jubens, ut faciamus, quod nos & statum nostrum perficit. Si jam voluntas non vult, nisi quod ad nostram perfectionem facit; tum convenit cum ejusdem Regula, quae est, nos perficere & tum ipsi tribuitur Rectitudo, quatenus nimirum actus produxit regulae conformes.

§. 18.